

Nec jam opus est quæri quonam duce veneris istuc ;
 Acer ut in spatio victor Olympiaco ,
 Dum turbam, fremitumque inter fugit ocyor Euro
 Præcipiti sonipes ocyor & Borea ,
 Spectantum nemo quærit, nec scire laborat
 Quis tenerum cursus imbuit ad rapidos ,
 Crura quis expediit, multaque exercuit arte ;
 Sat celerem est primo in pulvere nosse fugam.
 Attamen, o Bernarde, reor, tibi turpe putabis,
 Nec poteris tacito non doluisse sinu,
 Si ductus dicare malo duce per juga Pindi,
 Qui tibi monstratas nesciat ipse vias.

